

paludibus, aquis, aquarum ductibus, rivis, fossatis, & ruinis, aquarumque decursibus, navigiis, pontibus, molendinis, batenderiis, piscationibus, venationibus, aucupationibus, passagiis, pedagiis, guidagiis, pontibus, furnis, teloniis, mercatis, fodris, nundinis, omnibusque exactionibus publicis, & privatis, monetis, monetæque tam auri, quam argenti, alteriusque metalli fabricandæ, seu cudendæ, Notariis, & seu Notariorum per totum orbem, & in toto orbe nostro Imperiali auctoritate creationibus, plenaria potestate, omnibusque aliis redditibus proventibus, & obventionibus universis, bonis etiam mobilibus, & immobilibus, cultis, & incultis, selvaticis, atque domesticis ad prædictas civitates, castra, terras, villas, burgos, loca, plebes, partes, vicos, & capellas, ipsorum, & ipsarum quælibet, vel quaslibet spectantibus, spectantia, seu spectare debentibus, vel debentia, & in prædictis civitatibus, terris, castris, villis, burgis, locis, plebibus, vicis, capellis, partibus, poderiis, & districtibus consistentibus, & consistentia, & demum quidquid juris domini, potestatis, & imperii in omnibus, & in singulis dictis civitatibus, castris, terris, villis, burgis, locis, plebibus, capellis, vicis, partibus, rebus, & contratis, eorumque poderiis, & districtibus, & etiam inter dicta flumina Tanagri, & Burmidæ juris Imperii nos habere consisterit, atque constat. Ita quod prædictus Episcopus Princeps noster charissimus, & Aquensis Ecclesia, & sui successores per se, & suos officiales possit, & possint in perpetuum, in omnibus, & singulis dictis civitatibus, castris, terris, villis, burgis, locis, vicis, plebibus, & partibus, & ipsorum omnium, & singulorum poderiis, & districtibus, & in omnibus, & singulis partibus inter Tanagrum, & Burmidam consistentibus omnia, & singula exercere, facere, statuere, ordinare, præcipere, & mandare, exerceri facere, statui facere, præcipi, & mandari, & ordinari, quæ nos Carolus Imperator, nostrique successores possemus de magna nostra Romana Imperatoria, & absoluta plenitudine potestatis, etiam si præsentem essemus, & si omnes, & singulas, omnia, & singula civitates, castra, terras, villas, burgos, loca, plebes, capellas, districtus, poderia, & partes prænominatas ad manus nostras, sine infeudatione aliqua temporibus retroactis facta tenuissemus, vel teneremus ad præsens. & quidquid nos in propria persona nostra possumus, vel possemus, si ut præmittitur præsentem essemus. Et etiam volumus, constituimus, ordinamus, præcipimus, & jubemus ex certa scientia, & de magna nostra plenitudine potestatis, quod omnes, & singuli utriusque sexus in omnibus, & singulis præmissis terris, civitatibus, castris, villis, burgis, locis, plebibus, vicis, & partibus, poderiis, & districtibus, stantibus, & habitantibus, vel qui in futurum, & in perpetuum stabunt, vel habitabunt cujuscumque conditionis existant, vel existent, teneantur, & debeant dicto Episcopo Principi nostro, & Aquensi Ecclesiæ, ac suis successoribus tamquam nobis de dictis 60

nibus, & reparationibus murorum, spaldorum, fossatorum, clausurarum, & aliorum, & aliarum omnium, ac de regalibus, & aliis omnibus, & singulis supradictis in perpetuum integre respondere, ac obedire, & parere in omnibus, & per omnia, sicut propriæ personæ nostræ sine aliqua contradictione juris, vel facti, non obstantibus quibuscumque juribus, privilegiis, instrumentis, sententiis arbitralibus, & arbitramentis, ordinariis etiam, five delegatis, ac quibuscumque pactis, seu instrumentis pactorum, ac obligationibus, promissionibus, stipulationibus, & aliis omnibus de jure, vel de facto, dictis, scriptis, promulgatis, prolatis, seu sententiatis, vel quibuscumque scripturis, seu quibuscumque donationibus, concessionibus, infeudationibus, alienationibus, detentionibus, invasionibus, præscriptionibus præteritis, vel futuris, occupationibus, oppressionibus, controversiis, litigiis motis, vel movendis, & omnibus aliis in contrarium factis, editis, promulgatis, scriptis, roboratis, sententiatis, vel pronunciatis, fiendis, edendis, promulgandis, pronunciandis, scribendis, roborandis, vel sententiandis ex omnibus, aliis scripturis, & gratiis, sub quacumque forma verborum cuicumque, quibuscumque, vel quomodocumque factis, traditis, vel concessis, etiam si de omnibus, & singulis oppoteret de verbo ad verbum præsentibus fieri mentionem, quæ contra præmissa, vel præmissorum aliquod posset, vel possent quomodolibet obijci, vel 30 opponi, seu in aliquo derogare, seu etiam obviare, quibus specialiter derogamus, & quæ omnia, & singula in contrarium edita, promulgata, scripta, pronunciata, arbitrata, sententiata, prolata, vel roborata, quæ, vel qua huic nostræ confirmationi, concessioni, ordinationi, constitutioni, privilegio, seu donationi, investituræ, & decreto, & pragmaticæ sanctioni possunt, vel possent præjudicare, obviare in aliquo, vel obesse ex certa scientia, & de dicta immensa nostra plenitudine potestatis revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, & pro revocatis, cassis, irritis, & annullatis perpetuo habere statuimus, volumus, & jubemus prædictum Episcopum, & per ipsum suam Aquensem Ecclesiam, & Episcopalem mensam, & suos successores de omnibus, & singulis supradictis, & in omnibus, & singulis ex certa scientia, & gratia speciali, & de dicta magna Romana, Imperiali, & absoluta potestate in integrum restituentes, & pro in integrum restitutis, & restituto haberi volentes, mandantes, statuentes etiam, & jubentes. Ceterum ut super pedagiis exigendis, colligendis, & accipiendis meta aliqua apponatur ex certa scientia, & de dicta nostra magna plenitudine potestatis, & pragmatica sanctione concedimus, statuimus, volumus, & jubemus, quod dictus Episcopus Princeps noster, suiique successores per sese, suosque officiales possit, & possint ab omnibus, & singulis, & de omnibus, & singulis bestiis equinis, & mulinis, asininis, & aliis bestiis per dictas civitates, castra, villas, burgos, partes, & poderia, vel ipsorum aliqua transitum facientibus, exeuntibus, vel intransantibus mercimonia, victualia deferentibus capere, & colligere, & levare, seu capi facere, colligi, & levare pro